





15042158  
DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA 26  
*DE*  
**IVRE FRVCTVVM A BONÆ  
FIDEI POSSESSORE PER-  
CEPTORVM**

QVAM

ADSPIRANTE DIVINA GRATIA  
RECTORE ACADEMIE IENENSIS MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO

**VVILHELMO HENRICO**

DUCE SAXONIAE IULIACI CLIVIAE MONTIVM AN-  
GARIAE WESTPHALIAE ET RELIQA

EX DECRETO  
INCLVTAE FACVLTATIS IVRIDICAE  
SVB PRAESIDIO  
VIRI ILLVSTRIS ET EXCELLENTISSIMI  
DOMINI

**CHRISTIANI WILDVOGELII**

ICTI CELEBERRIMI SERENISSIMI DVCIS SAXO-ISENACENSIS CONSI IARII  
INTIMI CVRIAЕ PROVINCIALIS ADSESSORIS FACVLTATIS IVRIDICAE ET  
SCABINATVS SENIORIS ITEMQUE IVRIS PVBLICI ET FEVDALIS NEC  
NON CODICIS ET NOVELLARVM PROFESSORIS PVBLICI  
ORDINARI

PATRONI AC PROMOTORIS SVI PIE COLENDI  
PRO LICENTIA IN VTROQVE IVRE OBTINENDA  
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI  
IN AUDITORIO ICTORVM HORIS CONSVENTIS ANTE ET POMER.  
SVBIICIT

**CHRISTIANVS FRIDERICVS Winter/**

ADVOC. RONNEB.

AD D. XVI. SEPT. MDCCXXIV.

IENAE, LITTERIS M VLLERIANIS.

CHRISTIANA LITERATURA  
HISTORICO-POLITICA  
ET MORALIS  
AD D. J. VON HORNEMANN  
MAGISTER ET DOCTOR  
IN THEOLOGIA  
ET PHILOSOPHIA  
ACAD. FRANC. ET IMP. PETROPOLITANA  
PRO F. G. HORNEMANN  
EX LIBRIS  
CHRISTIANI HORNEMANNI  
HORNEMANNI



IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI  
AD OMNES ACTVS OMNIAQUE CONSILIA  
PROGREDIMVR.

Theſ. I.

Oleminibus exantatis exami-  
nibus, ab illustri huius cele-  
berissimae Academiae Salanae  
ICTorum ordine ad haben-  
dam Disputationem inaugu-  
ralem beueuole admissus sum. Thema elegi  
haud sterile, nec satis extricatum. Multi enim  
legum interpretes mox iniquius, mox favorabi-  
lius in bona fidei posſefforem statuunt, ita vt  
hac in ambiguitate iudices, quo quisque odio  
trahitur vel fauore, decernere possint, quod  
volunt, tuti a metu, quod male iudicando li-

*Propoſi-  
tum.*

A 2 tem

tem suam fecisse dicantur. Ego igitur operaे pretium esse duxi, in huius materiae, quotidie vsum suum in foro exerentis, indolem paullo penitus indagare, legum Romanarum dispositionem eruere, & modernorum ICtorum opiniones ac dissensus proponere, atque, rationibus cuiusue adductis, meliorem, ut arbitror, sententiam eligere; ingente profitens, nihil interea quicquam secus sentientium auctoritati me per hunc laboreni detrahere, sed, solo veritatis studio commotum, haec omnia proferre voluisse.

## Thes. II.

*Commentatur rubrica Dissertationis ita sese habet: De Iure fructuum a b. f. possessore perceptorum. Singula verba, quantum opis, explicabimus. Nam recte CICERO, omnem, inquit, quae a ratione suscipitur de re aliqua, institutio nem a definitione profici sci debere, ut intelligi possit, quid sit de quo disputatur, L. 1. de Offic. c. 1. Hinc & IVLIANI nostri in l. 13. §. 3. de reb. dub. elegans & ad amusim hic quadrans effatum occurrit, animaduertendum studentis, quid sit, de quo quaeratur.*

## Thes.

## Thef. III.

Duplex autem Logicorum definitio est, *Duplex*  
*nominalis alia, alia realis.* Vtraque attendi  
 debet, si in rei tractatione feliciter, & sine of-  
 fensa progredi velimus. Occurrit enim hic  
 quaedam cum nucleo paritas, quem dupliciti  
 natura putamine vallavit; altero crassiore, quod  
 nisi amqueris, frustra palatum spe captandi ci-  
 bi solaberis; altero vero tenuiore, quod esum  
 nuclei quidem non impedit, saporem tamen  
 & dulcedinem non nihil corruptit. Sic nisi  
 in doctrinis vocem aequiuocationis velut cor-  
 tice exemeris, in vanum rei intellectum scruti-  
 taberis, & ni naturam rei, definitionis ope, di-  
 stinete cognoueris, confusionis amaritudo iu-  
 cunditatem scientiae non leuiter corruptet.

## Thef. IV.

Non equidem eos laudo, qui plus iusto *Quid de*  
*nominalibus, ut aiunt, definitionibus, siue vo-* *studio cry-*  
*cum studio dediti sunt, & semper ovoμαλολο-* *mologico*  
*γενής vmbra pro Iunone amplectuntur.* *sentien-*  
*Nec tamen cum Epicuro facere possum, qui,* *dum.*  
 teste A. GELLIO *Noct. Attic. L. 2. c. 9.* curas vo-  
 cum, verborumque elegantias ac pondera non

modo non sectatus; sed & omnino insectatus est. Et profecto, si cetera, quae vulgo ipsiimputantur, a quibus tamen eum speciose admordum, & satis eleganter vindicauit PETRVS GASSENDVS, paradoxa non sint, hoc vno singulatritatis, vt ita loquar, & nouitatis studii notam, cum temere a reliquis philosophis fecessum fecit, effugere haud potest. Per placet mihi ALEXANDER ab ALEXAND. L. 3. Genial. dier. c. 4. quando pessime cum his actum existimat, qui praetermisso latinae linguae nitore & cultu verborum, se protinus ad legum interpretamenta praecipites tradunt, magno errore nimis properae festinationis; si quidem hoc primum docendi sunt, quoniam modo vim, ac sensa verborum, & ICtorum mentem plane percipi-ant, vt, si quid in controversiam venit, non sensus praeposteros, sed proprios assequantur significatus. Igitur antequam rem aggredior ipsam, ipsorum verborum originem & proprietatem indagasse haud pigebit, cum ex verborum intelligentia magnam partem rerum dependeat cognitio, iuxta L. vlt. C. de legit. tut. indeque etiam est, quod ICti, veram quippe philo-

philosophiam sectantes, L. 1. §. 1. de Iust. & Iur. toties solliciti sint in eruendis vocabulis, quod ex innumeris iuris particulis patescit, & vel solus Pandectarum TITVLVS *de verborum significat.* comprobatum dat. Adprime hoc collimat, quod de LABEONE ANTISTIO memorat A. GELLIVS *Noct. Attic. Lib. 13. c. 10.* eum, non spernendi nominis ICTUM, latinarum vocum origines, rationesque percalluisse, adeo, ut hac praeципue scientia ad enodandos plerosque iuris laqueos vsus fuerit. Et quem fugit, quot menda eruditorum manus, solo verborum studio, e nostro Iuris Corpore expurgaverit, & quot loca pristino suo nitori genuinus artis criticae usus restituerit, exemplo potest esse BYNCKERSHOEKIVS in suis *Observationibus*, & GVNDLINGIVS in suis *Gundlingianis*. Lubens tamen fateor, aliquam vocabulorum rationem esse habendum, potiorem autem rerum, L. 7. §. 1. de suppellect. legat. L. 17. de legib.

Thef. V.

Vocabulum *Iuris*, quod in fronte Differ- *Vnde Ius*  
tationis occurrit, apud DD. ad nauream usque *dicitur,*  
explicitum est. Alii id deriuant a iussu, seu *& quid  
hoc loco  
iubent significet.*

iubendo, SPIEGEL. in Lexic. CALVIN. in Lexic.  
 Alii a iustitia, ut VLPIAN. in L. 1. pr. de iustit. &  
*iur.* quod ἔτυμον e philosophia, non e grammatica petitum est, CONT. L. 2. Lect. c. 6. ita,  
 ut VLPIANI collectio talis sit: Ars omnis a subiecto, quod tractat, denominanda: ius est ars  
 boni & aequi, & consequenter iustitiae: est i-  
 gitur ius a iustitia adpellatum, ut ratiocinatur  
 SIM. a LEEVWEN ad c. l. conf. STRAVCH. D. 1.  
 Th. 1. & praecipue CONANVS L. 1. c. 2. Ius hoc  
 loco accipitur pro eo, quod in legibus & con-  
 stitutionibus superiorum de fructibus a bona  
 fidei possessore perceptis dispositum est.

Thes. VI.

*Fructus  
vnde dica-  
tur, & quo  
in sensu  
accipi de-  
beat.*

*Fructus* dicitur a fruendo, & est nomen ge-  
 neris, quo ea omnia, quae terra dignuntur,  
 proprie comprehendimus, late GOEDD. ad l. 77.  
*de verb. sig.* atque eius duae sunt species, qua-  
 rum altera frugum nomine adpellatur, nimi-  
 rum quae minutae fruges dicuntur, hoc est,  
 quae arista & siliqua continentur; altera vero  
 generis nomen retinet, &, quicquid praeterea  
 ex terra natum, ad hominum vel animalium  
 alimentum pertinet, complectitur, ut vinum  
 & ole-

& oleum, poma, foenum &c. L. 77. d. V. S. I.  
 48. de *vsufr.* Postea vero fructuum adpellatio generaliter ad omnem rei corporalis & in corporalis prouentum relata est. Vnde mercedes rerum, quae locari solent, & omne com modum aut emolumentum, quod ex realiqua percipitur, fructus dicuntur. Hinc recte GOTHR. ad l. 19. de *vsur.* scribit, quod fructus adpellatione continetur, quidquid ex re percipitur, item pensio omnis, & utilitas rei accidentis. Ergo breuissimis fructus definiri possunt, quod sint rerum emolumenta. An partus ancillae fructus nomine veniret, disputatione veteres ICTI, vid. CICERON. L. 1. de *finib.* obtinuit BRVTI sententia, qui quaestione negabat, ex ratione, quod in fructu hominis homo esse non possit. l. 68. de *vsufr.* Sed licet BRVTI sententia vera sit, eius tamen ratio non vindetur satis stringere. Nam quidni homo in hominis fructu esse potest, si homo in hominis dominio esse potest? Hinc alii aliam adserunt rationem. IVSTINIANVS in §. 37. I. de *rer. diuis.* dicit, absurdum videri, hominem in fructu esse, cum omnes fructus rerum natura gra-

B tia

tia hominis comparauerit, quae verba mutuauit  
a CAIO in l. 28. de usur. Optima ratio vi-  
detur esse ea, quae extat apud VLPIANVM in l.  
27. de hered. petit. quod ancillae non ad hoc com-  
parantur, vt pariant, sed vt seruant, confe-  
ratur ex professo GALVAN. de usur. c. 29.. Ce-  
terum in nostra dissertatione fructuum nomi-  
ne intelligimus, quæ pertinent ad eorum con-  
ceptum generaliorem.

## Thes. VII.

*Fructuum  
diuisiones.* Ut vero infra eo felicius scopum praesi-  
xum attingere, & maiore cum adcuratione ad  
diuersas quaestiones respondere quaeamus, e-  
re esse mihi videtur, varias fructuum diuisio-  
nes hic subiungere. Sunt autem fructus vel  
NATVRALES, qui ex ipsa re proueniunt atque na-  
scuntur, quorum rursus alii sunt *Naturales in  
specie*, in quibus producendis hominis indu-  
stria parum confert, quo pertinent gramina,  
ligna, carbones, &c. alii *Industriales*, ad quos  
prouocandos hominis opera atque labor mul-  
tum contribuit, quo referre debemus frumen-  
ta, olera, & similia. Vel CIVILES, qui non ex  
ipsa re nascuntur, sed occasione rei proueniunt,

vt

ut sunt usurae, locaria, & anni-reditus. Deinde sunt vel PENDENTES, qui adhuc terrae vel arboribus cohaerent, vel quorum dies nondum venit. Vel SEPARATI seu PERCEPTI, qui a terra vel corpore, ex quo prouenerunt, collecti, percepti & relecti sunt, licet nondum v. g. in horum relati sunt, VENN. ad §. 35. I. de rer. diu. n. 3. qui percepti fructus iterum sunt vel extantes, qui aut naturali aut ciuili ratione adhuc in rerum natura sunt, vel consumti, qui aut naturali, v. g. per esum atque potum, aut ciuili ratione, ut per usucaptionem, non amplius existere intelliguntur. Vel sunt denique PERCIPENDI, quos possessor, si voluisset, percipere potuisset, sed neglexit. Utilem horum omnium applicationem suo loco habebimus.

## Thes. VIII.

Porro cum in rubro nostro bonae fidei De conceptione iniicitur, quid per bonum, quid per fidem, p<sup>ro</sup>t<sup>er</sup> bone fidei. quid denique per bonam fidem intelligamus, interpretandum est. Bonum in philosophia generaliter significat, quod est conueniens naturae. Et duplex solet constitui: aliud bonum naturale, aliud bonum morale. Illud est res

B 2

con-

conueniens ad conseruationem naturae, seu na-  
ta ad bonum usum, ut cibus, potus, valetudo,  
opes & diuitiae &c. Hoc est, quod in action-  
ibus conueniens est, iudicio mentis exhibito,  
quo pertinet id, quod honestum est, & cerni-  
tar in virtutibus. In sensu iuridico, quem hic  
eruimus, bonum idem est, quod iustum at-  
que legibus comprobatum est. Fidei voca-  
bulum est valde πολύσημον. Sic Fides pro  
Dea a Romanis culta legitur. Sic quandoque  
accipitur pro cautione, ut in l. 12. C. de proxi-  
mis Sacr. sc̄rīnior. quandoque pro promis-  
sione, eiusque præstatione sumitur, ut fides di-  
cta sit, quasi ut FIAT dictum. CIC. l. 1. de offic.  
Hinc VLPIANVS in l. 11. §. 1. de act. emt. nibil  
magis, inquit, bonae fidei congruit, quam id  
præstari, quod inter contrabentes actum est.  
Plura inuenire licet apud iuris lexicographos.  
Frequentius accipitur pro opinione atque per-  
suasione, quam quis de re aliqua habet, ut BRIS-  
SON. de verbor. significat. ostendit. Hisce præ-  
missis, iam facile definire possumus, quid in  
nostro rubro per bonam fidem indigitare ve-  
limus. Nimirum per bonam fidem intelligi-  
mus

mus illam iustum atque legibus adprobatai  
opinionem, quamquis de possessione sua haberet,  
qua putat rem possessam tuam esse, cum igno-  
rat rem esse alienam. Nam quoniam eam ex  
titulo dominii translatuo accepit ab eo, quem  
dominum esse, aut alias facultatem alienandi  
habere credebat, non potest non fiduciam fir-  
mam habere, hanc rem ad se pertinere, vid.  
*I. 109. de verb. signif. l. 24. de usucap.*

Thef. IX.

*Possessor* a poscidendo nomen trahit. Pos-  
cidere autem late significat rei alicuius deten- *Quid sit  
bona fidei  
possessor.*  
tionem. Innumeris autem modis 7ò poscidere  
accipitur, vid. COLLEG. ARGENTORAT. *de ad-*  
*quirend. possess. §. 2.* Si non omnes, potiores  
tamen, possessionis singnificatus adducam. Su-  
mitur 1.) pro detentione qualibet, saltem quae  
habet restituendi facultatem, *l. 9. in f. de rei  
vindic.* & qui ita posdident, non tam poscidere,  
quam in possessione esse dicuntur, veluti depo-  
sitarii, aut commodatarii. 2.) Pro detentione,  
cum animo, aut cum affectione sibi habendi,  
*l. 3. §. 8. l. 25. §. 1. de adquir. possess.* 3.) Pro  
detentione cum opinione dominii, *l. 25. de*

B 3

*usurpat.*

¶surpat. & vsuc. §. 4. I. per quas pers. cuig. adquir. 4.) Pro detentione custodiae causa, ut sit in missione in possessionem ex primo decreto, l. 3. §. f. de adquir possess. 5.) Pro hereditate praetoria, quo tamen sensu vocem bonorum iuxta se requirit, & dicitur bonorum possesio. Ut autem dicamus, quo in sensu nostro possessori possessionem adscribamus, facile est colligere, illud fieri debere iuxta significatum tertium. Nam possessor noster habere debet qualitatem bonae fidei, ita ut firmiter credat, se rei possessae esse dominum, cum eius possessionem iusto titulo ad transferendum dominium alias habili nactus est, atque ab eo accepit, quem dominum esse putabat. §. 35. derer. diuis. Hinc bonae fidei possessor est, qui iusta opinione credit rem esse suam; cui opponitur malae fidei possessor, qui scit rem esse alienam. Sed singularis quaestio hic occurrit, quorū dubitans de iustitia possessionis suae sit referendus, vtrum ad bonae, ad vero ad malae fidei possessorem? Ex natura dubitationis ad neutrum referri potest, si tamen ad alterutrum referendus sit, distinguunt doctores, an iam in ipso contractu,

ex quo

ex quo possessionem accepit dubitauerit, & haberi potest pro malae fidei possessore; potuisset enim abstinere, & rem non comparare, STRYK. de Iur. Sens. Diff. 10. c. 4. n. 73. an vero post contractum & obtentam iam possessionem dubitauerit, & censeri nihilominus potest bona fidei possessor, cum leges initium possessionis considerant, l. 48. in f. de usurp. & usurp. STRVV. Exerc. 43. Th. 12. Sed huius philosophiae difficilis erit applicatio, cum dubitans a vero domino conuentus nil proferet de suo dubbio, & quo ex tempore dubitare inceperit. Deinde ex iuris sententia quilibet bona fide possidere censetur, qui cum iusto titulo rem possidet, c. 1. x. de praescript. Ergo actor malam reo fidem exprobrans, onus probandi sustinere debet. l. 18. §. 1. de probat. l. penult. Cod. de euic.

## Thes. X.

Quid percepti fructus sint, iam dictum est in praeced. §. 7. obseruamus tamen, subtili ratione, a multis discerni fructus separatos & perceptos ad concilianda veterum ICTORUM loca repugnantia. Quandoque enim illos aperte dis-

*An fructus separati & percepti di-*  
*serpent.*

iun-

iungunt tanquam diuersos, vt in l. 25. §. 1. de  
vſur. vbi IVLIANVS, praeterea, inquit, cum ad  
fructuarium pertineant fructus a quolibet sati,  
quanto magis hoc in bonae fidei poffessoribus re-  
cipiendum eſt, qui plus iuris in percipiendis fru-  
ctibus habent, cum fructuarii quidem non ſiant,  
antequam ab eo PERCIPIANTVR; ad bonae fidei  
autem poffefforem pertineant, quoquo modo a  
ſolo SEPARATI fuerint & in l. 48. pr. de acquir.  
rerum dom. vbi verba PAVLLI haec ſunt: Bonae  
fidei emtor non dubie percipiendo fructus, etiam  
ex alienare, ſuos interim facit, non tantum eos,  
qui diligentia & opera eius peruererunt, ſed o-  
mnes: quia quod ad fructus attinet, loco domi-  
ni pene eſt; denique etiam PRIVSQVAM PERCI-  
PIAT, STATIM VBI A SOLO SEPARATI SVNT, bo-  
nae fidei emtoris ſiunt. Quandoque vero illos  
coniungunt & ſynonymice accipiunt, vt in l.  
13. quib. mod. vſuſfr. amitt. vbi LABEO, fructum  
que PERCIPI, ait, spica aut foeno CAESO, aut  
vua ADEMTA, aut EXCVSSA olea, quanquam non-  
dum tritum frumentum, aut oleum factum, vel  
vindemia coacta fit. & in l. 78. de rei vindic.  
vbi idem LABEO ex PAVLLO refert, perceptio-  
nem

nem fructus accipi debere, non si PERFECTE (perfecte enim pro perfecti omnino legendum) collecti, sed etiam COEPTI ITA PERCIPÍ VT TERRA CONTINERE SE FRVCTVS DESIERINT: veluti: si oliuae, vuae lectae, nondum autem vinum, oleum ab aliquo factum sit: Statim enim ipse accepisse fructum existimandus est. addatur §.36. I. de rer. divis. Ad hos igitur textus conciliandos multifariam procedunt Doctores, quos inter impense mihi placet GALVANVS de *Vſu fr.* c. 28. iuxta quem separatio duplex est, aut merita aut mixta: meram intelligit illam, per quam fructus simpliciter separantur a solo, non autem percipiuntur a bonae fidei possessore, de qua agit alleg. l. 13. in fine vbi adfertur exemplum oleae, quae per se deciderit: Sane ibi separatio a perceptione disiungitur, sicut & in eo casu, quo fructus non a bonae fidei possessore, sed ab alio forte separatus est, l. 12. §. 5. de *vſu fr.* mixtam autem intelligit eam, quae cum perceptione coniungitur, hoc est, per quam fructus a bonae fidei possessore non nude tantum separatur, verum etiam percipitur, vt cum quis ea intentione separat fructum, vt eum sibi ha-

C

beat,

beat, atque adquirat, de qua in cit. l. 13. vers.  
*fructumque percipi & in d. l. 78. vers. perceptio-*  
*nem fructuum*, in quibus separatio cum percep-  
tione ipsa coniungitur atque confunditur. Nu-  
da ergo seu mera separatio eisdem a percep-  
tione differt, non vero mixta, quae cum a-  
nimo sibi habendi coniuncta, haec enim quali-  
ficata separatio utique cum perceptione coinci-  
dit. Sane percepti dicuntur illi fructus, qui a  
bonae fidei possessore capiuntur sibi, atque ac-  
cipiuntur, hoc est, non nude tantum a fundo  
separantur, sed etiam personae ipsius percipientis  
iunguntur, & in summa, quos percipiens ita  
adprehendit, ut sibi habeat, unde & eos accipe-  
& percipere usurpantur tanquam synonyma  
in d. l. 78. in fin. de rei vind. Haec autem per-  
ceptio similiter duplex dici potest, naturalis &  
civilis: per illam intellige, quando quis vere si-  
bi ipso, actu aliquo, capit & adprehendit fru-  
ctum; per hanc vero intellige, quando quis  
vere non adprehendit ac ad se trahit fructum,  
sed actu aliquo, ex dispositione iuris civilis, ad-  
prehendere intelligitur, ut cum quis fructum  
duntaxat separat a solo, nondum tamen colli-  
git,

git, aut cogit, dummodo sit eius mentis, ut velit illum adprehendere; prope enim est, ut adprehendisse videatur is, qui praeparat adprehensionem per hanc praeuiam & antecedentem separationem. Quamobrem cum haec non sit vera perceptio, proinde a GALVANO ciuilis nominatur, quoniam consistit in existimatione iuris ciuilis eam habentis pro vera perceptione, quo sensu scribit PAVLLVS in d. l. 78. in fine de rei vindic. de eo qui tantum a solo fructum separauerit: *ipse accepisse*, i. e. percepisse, ut ex praecedentibus patet, *fructus existimandus est*, nimirum fictione ac interpretatione iuris ciuilis: Sed & in eo differunt ista duo genera perceptuum, quod naturalis est perfecta & absoluta, ciuilis vero est imperfecta, & inchoata, ut ipse PAVLLVS in l. cit. 78. de naturaliter perceptis fructibus scribit, eos esse *perfecte collectos*, de ciuiliter autem perceptis, eos *incipi percipi*. Ex hac tenus dictis iam constare potest, qua ratione fructus separati & percepti a veteribus iuris conditoribus mox distinguantur mox coniungantur. Sane fructus separati ea intentione, ut eos aliquis sibi habeat, vel habere velit, vtique

cum perceptis coincidunt. Et hoc modo etiam eos supra Th. 7. copulauimus.

## Thes. XI.

*Quos fructus suos faciat b. f. possessor.* Iam progradimur ad ipsum ius, quod bonae fidei possessor in fructibus perceptis habet. Ex Legum textibus autem sequentem formabimus thesin. Ad bonae fidei possessorum pertinent omnes omnino fructus percepti, & quidem, si ante verus dominus superueniat, quam usucatio rei possessae absoluta sit, & suam rem vindicet, extantes revocabiliter, consumti autem irrevocabiliter, ita ut de his posterioribus vero rei domino plane non teneatur, licet ex iis factus sit locupletior.

## Thes. XII.

*Quo modo & genere haec fructuum adquisitio fiat.* Si ad possessorum bonae fidei fructus percepti pertinent, aliquo acquisitionis genere ut gaudear, utique necesse est. Sed quaeritur, ad quod adquirendi genus, vel quem adquirendi modum haec fructuum perceptio referri debet? Meo iudicio fructuum adquisitio, quae bonae fidei possessori in iure nostro tribuitur, ad naturales, eosque originarios adquirendi modos, & quidem ad accessionem referri potest,

est, non tamen absque omni irregularitatis spe-  
cie. Nam proprie non pertinet ad accessionem  
naturalem, cum eius ratio rei proprietatem  
requirere videtur, quam bonae fidei pos-  
sessor non habet, nec ad accessionem industria-  
lem, cum solum factum, v. g. cura & cultura,  
vel etiam sola fructuum perceptio, ad adqui-  
rendos fructus non sufficit, cum alias malae  
fidei possessor eadem ratione per culturam &  
curam fructus suos faceret, quod tamen facere  
non potest, ut clare verba final. §.35. I. de re-  
rum diu. disponunt. Casualis seu fortuitae ac-  
cessionis fundamentum hic plane non quadrat.  
Ut igitur in ambiguitate hac certum, vel saltem  
probabile aliquid statuam, puto, bonae fidei  
possessorem adquirere fructus accessione natu-  
rali, instar domini, ceu cernitur in foetura a-  
nimantium, ob iuris rationem, quod in dubio  
bona fide adquisita possessio idem operetur,  
quod alias operatur verum dominium, l. 25. §.  
i. de usur. vbi disertis verbis IVLIANVS, porro  
bonae fidei possessor, inquit, in percipiendis fru-  
ctibus id iuris habet, quod dominis praediorum  
tributum est. & l. 48. pr. de adquir. rer. dom. in

qua PAULLVS ita loquitur: *Bonae fidei emtor* (id est quilibet bonae fidei possessor, siue possessionem ex titulo oneroſo siue lucrativo, velut ex donatione, acceperit, vt perspicuis verbis ampliat IVSTINIANVS in §. 35. I. de rer. diu. ibi: *Si quis a non domino, quem dominum esse crediderit, bona fide fundum emerit, vel ex donatione &c.)* non dubie percipiendo fructus etiam ex aliena re, suos interim facit, - - - quia quod ad fructus attinet, loco domini pene est. Hinc etiam est, quod bonae fidei possessor non tantum fructus, sed & cetera fere omnia, quae dominis tribuuntur, sibi in iure tributa videat. Sic loco rei vindicationis, quam verus dominus habet, aequa vtilem, amissa possessione, habet actionem, scilicet Publicianam in rem, §. 4. I. de act. & tot. tit. π. de public. in rem act. De remedii possessoriis, quin iis gaudeat bonae fidei possessor, plane dubium non est, cum in interdictorum materia parum interest, vtrum quis iuste, an iniuste possideat, l. 3. §. 5. de adquir. possess. Nam etiam possessori iniusto interdicta dari, v. g. retinendae possessionis, modo ne iniuste possideat ab aduersario, tralati-  
tum

tiuum est, l. 1. §. f. & l. 2. uti possidet. Porro  
 vt seruus domino suo adquirit, ita etiam seruus  
 bona fide possessus adquirit suo possessori, §. 5.  
*l. per quas person. cuique adquir.* In summa,  
 bonafides tantundem praestat possidenti, quan-  
 tum rei veritas, quotiens lex per contrarii dispo-  
 sitionem impedimento non est, *l. 136. de reg.*  
*iur.* dicimus ergo, fructus adquiri duplicitis do-  
 minii ratione, scilicet aut per verum ipsius rei  
 dominium, aut per quasi dominium seu domi-  
 nium possessionis, quod praetor bonae fidei  
 possessori tribuit, & sic possessor bonae fidei,  
 licet fructus non adquirat per ipsius rei domi-  
 nium, adquirit tamen per quasi seu possessionis  
 dominium ipsi a iure ex aequitate, ob bonae fi-  
 dei indolem, indultum, ita tamen, vt adquisi-  
 tionis fundamentum & caussa sit equidem hoc  
 quasi dominium, attamen id ipsum cum ipsa  
 fructuum perceptione, ad minimum vt caussa  
 sine qua non, coniunctum esse debeat, ne ad-  
 modum praejudicetur praedominio veri domi-  
 ni, quod in re sua habet.

## Thes. XIII.

Hinc etiam fructus pendentes non pertinent *Fructus*  
*ad pendentes*

non perti- ad bonae fidei possessorem, sed ad ipsius fundi  
 nent ad b. dominum, quod diserte habent veteres ICti,  
 f. possessio- rem. vt ex IULIANO PAVLLVS in l. 13. in fin. quib. mod.  
 usfr. amitt. ob euidentem iuris rationem, cum  
 fructus, dum pendent, fundi pars esse censem-  
 tur, l. 44. de rei vindic. l. 17. de action. emt.  
 perinde vt partus in vtero portio viscerum ma-  
 ternorum dicitur in l. 1. §. 1. de inspic. ventr.  
 Et constat fructus pendentes non seminis con-  
 ditionem sequi, sed soli, l. 25. pr. de usur. solum  
 autem ipsum ad bonae fidei possessorem haud  
 spectat, cum proprietas nil commune habet  
 cum possessione, l. 12. §. 1. de adquir. possess.  
 Neque obstat, quod in praeced. Thesi bonae  
 fidei possessori adscriptimus dominium posses-  
 sionis. Nam aliud fundi, aliud possessionis seu  
 quasi dominium: illud versatur circa corpus  
 ipsius fundi, hoc vero circa eius vtilitates: fru-  
 ctus autem pendentes sunt quidem portiones  
 fundi, sed sine vtilitate, quam tunc tantum praee-  
 bere possunt, cum separantur a fundo, atque  
 ad eum statum periuenerunt, vt illis homines  
 vti ac frui possint, GALVAN. de usur. c. 28. n.  
 9. Inde est, quod dominus ipsius rei easdem  
 pro-

propter hos fructus habeat actiones, quas habet propter ipsam rem, putare iei vindicationem, ob l. 44. de rei vindic. vel conditionem furtivam, ut ex IULIANO VPIANVS in l. 12. §. 5. de vusufr. adducit his verbis: *Si fur, inquit, derperserit vel desecuerit fructus maturos pendentes, cui conditione teneatur, domino fundi, an fructuario?* Et putat, quoniam fructus non sint fructuarii, nisi ab eo percipiatur, licet ab alio terra separantur, magis proprietario conditionem competere. Ex hactenus adductis liquido adparet, fructus pendentes absolute fundum sequi, & sic superuenienti domino, & fundum suum vindicanti una cum fundo restituentur esse.

Diximus ergo in Tb. 11. nostrum bonaे *Fructus* fidei possessorem tantum fructus perceptos suos <sup>perceptos</sup> facere. Hoc autem verissimum est, & iuris <sup>sus facit</sup> b. f. possessor. textibus extra omnem controuersiam positis e-  
vincitur, l. 48. de adquir. rer. dom. cuius verba  
in praec. Tb. 12. adduximus, l. 4. §. 2. fin. re-  
gund. ubi PAULLVS, post litem autem contesta-  
tam, ait, *etiam fructus venient in hoc iudicio:*

D

Nam

Nam & culpa & dolus exinde praestantur. Sed ante iudicium percepti non omnimodo hoc iniudicium venient: aut enim BONA FIDE PERCEPIT, ET LVCRARI EVM OPORTET, SI EOS CONSUMSIT; aut mala fide, & condici oportet. add. l. 25. S. 1. seq. de usur. & videatur omnino clarus textus apud IVSTINIANVM §. 35. I. de rer. diu. ibi naturali ratione placuit, fructus quos percepit, eius esse. Hinc etiam foetus animalium statim fiunt bonae fidei possessoris, i. e. eo momento, quo eduntur & separantur ab animalibus, ut THEOPHILVS explicat §. 37. I. de rer. diu. Neque vero temere in hanc sententiam delapsi sunt romani iuris conditores, sed consulto ac prudenter. Principio enim bona fidei possessor habet possessionis dominium, quo continetur amplissima facultas capiendi utilitates omnes, quotquot a re possessa producuntur, ita, ut in ordine ad eas utilitates, is in fundo ipso, ut philosophatur GALVAN. de usurfr. c. 28. n. 10. sinon verum dominium, saltem aliquam istius dominii imaginem ex aequitate, & potestate iuris praetorii habere intelligatur. Deinde supra Tb. 12. probatum dedimus, hanc perceptorum fru-

fructuum adquisitionem ad modos adquieren-  
di naturales pertinere, & ipse INSTINIANVS ad  
naturalem rationem prouocat in citat. §. 35. *L.*  
*de rer. din.* Ut vero bonae fidei possessor fru-  
ctus perceptos suos faciat, non sufficit, enim  
rem ab initio bona fide accepisse, si postea co-  
gnoverit rem alienam esse: nam ex eo tempo-  
re, vt bonae fidei possessor esse desinit, ita quo-  
que ei denegatur fructuum adquisitio, *l. 23. S. 1.*  
*de adquir. rerum dom.* in quo texti quaestio,  
quamdui serius bona fide seruiens possessori  
suo adquirat, deciditur ita: *Tamdiu autem ad-*  
*quirit, quamdui bona fide seruit: Ceterum si*  
*cooperit scire, esse eum alienum vel liberum, vi-*  
*deamus an ei adquirit? quaestio in eo est;* *u-*  
*trum INITIVM spectamus, an SINGVLA MOMEN-*  
*TA? Et magis est, ut SINGVLA MOMENTA specie-*  
*mus.* Nam licet usucatio procedat in eo, qui  
ab initio bonam fidem habuit, & postea, rem  
alienam esse, cognovit, *l. pen. pro emitor. l. un.*  
*C. de usuc. transfor.* hoc tamen ad rem nostram  
nil facere potest, quippe in usucatione tantum  
una adquisitio est, & ideo in ea sufficit, vel ini-  
tium possessionis justum esse: in fructibus au-

JAH

D 2

tem

tem adquirendis, ut multae sunt acquisitiones, ita & in singulis bona fides spectanda, nec unum initium, vt in usurpatione, sed singula momenta, vt in nostra l. 23. §. 1. in fin. de adquir. rer. dom. & in l. 48. §. 1. cod. Grauius videatur obstat, quod IULIANVS bonae fidei possessorum in percipiendis fructibus etiam eum intelligat, qui postea cognovit, rem alienam esse, quamdiu res euicta non fuerit, in l. 25. §. 2. de usurp. Sane PETR. COSTAL. in suis *Aduersariis* ad b. l. 25. irreconciliabilem statuit pugnam inter b. l. 25. & praecedentem textum in l. 48. §. 1. de adquir. rer. dom. his verbis: *Mibi certe res, ait, solui posse non videtur: malo enim desiderari in me diligentiam, quam accusari futilitatem meam.* & cum COSTALIO multi alii consentiunt, qui hanc controvrsiam tam difficultem esse fatentur, vt nullo modo, sine manifesta calumnia, conciliari possit, vid. COVARRUV. L. 1. var. resol. c. 3. n. 7. & quos adlegat. CYPR. REGNER. in Cens. ad c. l. 25. Alii vero mox hoc, mox alio modo conciliationem tentarunt, pia culo sibi ducentes, si vllam in Iuris corpore antinomiam admitterent: *Lepida sunt, quae*

HAR-

HARPRECHT ad §. 35. I. de rer. div. n. 83. profert, nos tamen, dicens, qualem cunque rationem, qua pugnantia ista responsa ad concordiam reducantur, malumus admittere, quam laudissimum Imperatorem Iustinianum, qui in l. 2. §. 15. C. de vet. iur. encl. negat, eiusmodi antinomiam in iure inueniri, quae subtili adhibita cogitatione explicari nequeat, mendacii accusare; interim non inepte idem ratiocinatur, quod ad ipsam horum textuum conciliationem attinet; contrarietatem enim ita tolli posse putat: Bonae fidei possessor, post scientiam rei alienae superuenientem, fructus nihilominus suos facit, donec fundus euincatur: Suum autem facere, nihil aliud significat, quam dominium adquirere. Quare quod IVLIANVS ait, in d. l. 25. §. vlt. bonae fidei possidorem, qui rescivit, rem alienam esse, fructus usque ad euictionem suos facere; hanc habet sententiam, quod interim eorum fructuum, quos percepit, dominus efficiatur. Quod vero in c. l. 48. §. 1. PAVLLVS tradit, bonae fidei possidorem, postquam rem esse alienam expertus est, suos fructus non facere, hunc continet sensum, quod bonae fidei

10138

D 3

pos-

possessor post scientiam de re aliena superuenientem, fructus non lucretur. Aliud autem est, suum aliquid facere, aliud lucrari. Is quidem, qui lucratur, suum facit, sed non omnis, qui suum facit, lucratur. Interdum namque quod suum quis facit, restituere cogitur, ut mox inferius habebimus. Itaque paucis dicere possumus, legem 25. §. 2. intelligi posse de dominio fructuum revocabili, legem vero cit. 48. §. 1. de dominio irreuocabili, ita ut bona fidei possessor, qui postea rescivit, rem esse alienam, fructus perceptos quidem suos faciat, nec in ea perceptione ab eo, qui se dominium esse intendit, pendente lite, quamdiu de scientia nondum vere constat, turbari queat: at re euicta, & legitimo iudicio ablata, si de restitutione fructuum & effectu acquisitionis quaeratur, retroversum malae fidei possessor intelligatur, quo ex tempore rescivit rem esse alienam, atque exinde etiam fructuum nomine teneatur, ut alias malae fidei possessor, VENN. in Comment: ad §. 35. I. de rer. diuis. n. 5. FACHIN. controvers. L. I. c. 59. Interim huc trahi, adplicariue debent, quae supra in Thes. 9. in fin. acutimus, ita y<sup>o</sup> actor

actor scientiam rei alienae possessori obiciens,  
suam intentionem probare teneatur, cum bonae  
fidei presumptio pro possessione militat.

## Thes. XV.

Bonae fidei autem possessor perceptos fru-  
ctus suos facit OMNES, tam naturales, quam ci-  
viles, & tam naturales in specie sic dictos, quam  
industriales. Quod ad ciuiles attinet, eos vi-  
que adquirit noster bonae fidei possessor, cum  
quoad intellectum iuris cum aliis fructibus pa-  
ri passu ambulant, ita ut ex responso VLPIANI  
praediorum urbanorum pensiones pro fructibus  
accipientur, in l. 35. de usur. add. l. 34. ibid. &  
mercedes a colonis acceptas loco fructuum esse;  
operas quoque seruorum in eadem caussa esse,  
qua sunt pensiones; item vecturas nanum, &  
iumentorum, scribit idem VLPIAN. in l. 29. de he-  
red. petit. De fructibus industrialibus, quia  
eos bonae fidei possessor suos faciat, plane du-  
bium non est. Circa naturales autem offen-  
datur scrupuli sat magni atque graues. Nos  
in genere probare volumus nostram thesin, de-  
inde, quae nobis obstare videbuntur, sollicite  
remoturi. **Diximus bonae fidei possessorem**

OMNES

omnes perceptos fructus suos facere, hancue ad-  
fertionem probamus argumentis sequentibus:  
Primum adsunt clari & perspicui textus iuris.  
Deinde, vt iam supra probauimus, praecipua  
& adaequata acquisitionis fructuum ratio est  
possessoris bona fides, quae efficit, vt ob vim  
sui quasi dominii hactenus tanquam verus do-  
minus omnes fructus adquirat, etiam si in eos  
nullam curam atque culturam impenderit, vt  
IVLIANVS probat in l. 25. pr. & §. 1. de usur. Si  
textus iuris intuemur, agmen dicit l. 48. pr. de  
adquir. rev. dom. vbi PAVLLVS ICtus adpeire docet,  
bonae fidei possessorē non tantum fructus  
industriales, qui diligentia & opera eius perue-  
nerunt, sed etiam naturales, qui sua sponte abs-  
que singulari cultura magnoue labore nascun-  
tur, suos facere. Ipsius textus verba iam supra  
in Tb. 10. adduximus. Vexare equidem hunc  
locum debuerint omnes, qui se ex lege obstan-  
te 45. de usur. extricare non potuerunt, de qua  
paullo inferius, hinc etiam vocabulum omnes  
ibi a PAVLLO adhibitum noluerunt intelligere  
de omnibus omnino fructibus, sed de omnibus  
tantummodo industrialibus, sive industria ipsi-  
us bo-

us bonae fidei possessoris, siue tertii cuiusdam diligentia prouenerint; sed rectius PAVLLI mentem adsecuti mihi videntur, qui mecum per voculam *omnes* naturales intelligunt, cum fructus industriales & naturales sunt membra sibi inuicem opposita, ergo etiam PAVLLVS particulam *omnes* fructibus industrialibus opponens, necessario intellexit naturales, praecipue si attendimus subiectam rationem: *quia quod ad fructus attinet, loco domini pene est.* Adhuc magis hanc adsertionem confirmat noster PAVLLVS in ead. l. §. 2. vbi foetus ouium, lac & lanam bonae fidei possessori adscribit, quod etiam facit CAIUS in l. 28. de usur. atqui constat, haec omnia ad fructus naturales pertinere. Imo oleam omnes ad fructum naturalem referre debent, quippe quae teste PLIN. H. N. L. 15. c. 1. nullam omnino culturam & curam desiderat, cui consentaneus est VIRGIL. quem excitat VENN. ad §. 35. I. de rer. diu. n. 7. & tamen olea, mox cum excussa seu percepta est, bonae fidei possessori adquiriri, legitur in l. 13. quib. mod. ususfr. amitt. & l. 78. d. R. V. Denique quis negauerit, forenum ad fructuum naturalium classem pertine-

E re, &

re, & nihilo fecius, pari ratione atque frumentum separatum, bonaे fidei possessori vindicatur in d. l. 13. Ex haec tenus igitur dictis planissime constare arbitror, bonaе fidei possessorem, omnes fructus, quos percepit, quales demum sint cunque, suos facere. In alias autem partes ut irent Glossatores, & alii, subtile etiam doctores, vid. BACHOV. ad TREVTLER. disp. 15. th. 21. Lit. E. & F. ansam praebuisse videtur famosa l. 45. de vſur. Quaerit hoc loco POMPONIVS de coniuge possesso rei a coniuge donatae, & ait: *fructus percipiendo uxor vel vir, ex re donata, suos facit: illos tamen, quos suis operis adquisierit; veluti serendo: nam si pomum decerpserit, vel ex sylua caedit, non sit eius: sicuti nec cuiuslibet bonaе fidei possessoris: quia non ex facto eius is fructus nascitur.* Ex hoc igitur POMPONII responso elucescere videtur, bonaе fidei possessorum tantum fructus industriales adquirere, non etiam naturales. Sed, hoc textu non obstante, salua manebit nostra propositio. Nam POMPONIVS saltem de casu speciali agit. Nimirum quaerit de fundo coniugi a coniuge, constante matrimonio, donato;

quo

quo casu cum improbaretur iure ciuili huiusmodi donatio, tot. tit. de donat. inter vir. & vxor. quaesitum fuit de fructibus ex eo fundo perceptis; num ad minimum eos donatarius lucraretur: In hac quaestione respondit POMPONIVS, eum suos facere industriales, non etiam naturales. Quamuis adhuc super est scrupulus, quem continent *ibid.* verba. *Sicuti nec cuiuslibet bonae fidei possessoris:* in quibus, quod dictum fuerat de coniuge donatario, extendi ad quemlibet alium bonae fidei possessorem videtur. Sed haec verba neminem deterrebunt, si caute animaduertimus, ea non esse absolute intelligenda de *quouis* bona*e*fidei possesso*r*e, sed saltem de *quodam*. Non enim ait ICtus, *nullius* bona*e*fidei possessoris eos fructus fieri, sed *non cuiuslibet*; quasi dixerit POMPONIVS: Si coniux iste ex fundo donato perceperit fructus naturales, dominium eorum non sit, neque ipsius coniugis, qui illos percepit, neque etiam *cuiuslibet* alterius bona*e*fidei possessoris, in quem is coniux eos fructus naturales alienauit. Sane ICti enunciatio non est vniuersalis, sed particularis. Sic qui dicit: *Non cuiuslibet ha-*

mini contingit adire Corinthum , is tacite fate-  
tur , alicui hoc contingere . Etsimili modo no-  
ster POMPONIUS dicit , non *cuiuscunque* , i.e. non  
omnis rei venditionem esse , in l. 6. de *contra-*  
*bend. emt. vend.* secundum distinctionem l.  
34. §. 1. cod. GOEDD. ad l. 119. de V. S. VENN. ad  
citat. §. 35. l. de *rer. diu.* FRANTZK. Exercit. 4.  
quaest. 7. n. 12. FACHIN. *controvers.* L. 1. c. 57.  
Videmus igitur , in proposita l. 45. de *usur.* con-  
tineri tantummodo exceptionem a regula ; at-  
qui exceptio firmat regulam in casu non exce-  
pto . Sed quaeritur , cur in dicta facti specie  
coniux solum fructus industriaes lucretur ? re-  
spondemus : iura cum prohibent eiusmodi do-  
nationem inter virum & vxorem , coniux na-  
turales suos facere non potest , nec valide in a-  
lium transferre , quoniam lex impedimento est.  
l. 136. de *reg. iur.* Attamen quia coniux non im-  
probe , sed ex alterius coniugis voluntate fun-  
dum donatum possidet , licet inualido titulo ;  
leges noluerunt ipsis omnes ab iudicare fructus ,  
sed reliquerunt ei industriaes , praecipue quod  
propter hos coniux donator non multum pau-  
perior factus , arg. l. 3. pr. de *don. inter vir. &*  
vxor .

vxor. & quia in fructibus his maxime respiciendum fuit ad donatarii singularem industriaem, quam rationem ipse etiam POMPONIVS ante oculos habuit, ut patet e verbis: *Quos suis operis -- quoniam non ex facto eius is fructus nascitur.* Denique nec titulus, quo coniux donatum posidet, penitus inualidus atque inefficax est, cum constet, coniugem irrevocabile rei donatae dominium adquirere, si coniux donator in sua voluntate perseueret, nec eam ante mortem reuocet, *I. 10. & 25. C. de don. inter vir.*

*& vxor.* Itaque coniugi donatario iura bonae fidei possessoris aliquo modo ut indulgerentur, aequitas sua sit. Porro nostrae sententiae, iuxta quam b. f. possessori etiam fructus *naturales* attribuimus, videtur ipse IUSTINIANVS in §. 35. *I. de rer. diu. officere*, per verba: *naturali ratione placuit, fructus quos percepit, eius esse PRO CVLTVRA ET CVRA.* Sed salua res est. Nam licet THEOPHILVS in sua paraphraſi Imperatoris verba solummodo de fructibus industrialibus accipiat, eumque multi alii sequantur, genuina tamen eorum interpretatio fructus naturales non excludit, cum *cultura & cura* non tam ad

E 3 fru-

fructus, quam ad totum fundum, quem co-  
luit & curauit bonae fidei possessor, referri de-  
bet: & quem fugit, etiam fructus naturales re-  
quirere aliquam culturam & curam? curari  
debent pecora, prata, arbores, plantae & simi-  
lia. Est igitur verus istorum verborum sensus  
hic: dignus est, qui adquirat fructus, i. e. com-  
moda omnia & utilitates fundi, qui bona fide  
subiit, & in se recepit incommodum culturae &  
curae illius fundi, conf. GALVAN. de usufr. c. 28.  
n. 10. & 14. Quae praeter hucusque memo-  
rata nostrae assertioni obici possent, non magni-  
erunt ponderis. Itaque finimus hanc contro-  
versiam, & concludimus cum Bachouio ad  
Treutler. dispt. 15. Th. II. Lit. E. & F. hanc dis-  
putationem magis in subtilitate quadam con-  
sistere, quam quod alicuius effectus magnope-  
re esse videatur; siquidem constat, industria-  
les iuxta ac naturales extantes restituendos esse:  
nec minus hoc constat, quod de consumtis et-  
iam naturalibus bona fidei possessor non tene-  
atur, quod ipsi Doctores alias dissentientes am-  
babus, vt aiunt, manibus largiuntur, vid. Glos.  
in l. 35. de rei vindic. cum eos, neque dolo neque  
culpa desit possidere.

Thes.

## Thes. XVI.

Huc usque noster b. f. possessor omnes fructus perceptos fecit suos. Sed iam verus super-  
 uenit dominus, opportuno adhuc tempore, scilicet  
 usque vscacionis termino nondum praeter lapsus,  
 rem suam vindicaturus. In qua iam condicio-  
 ne erit bona fidei possessor? Sane usque ad li-  
 tis contestationem iniolata ei haec tenus adserita  
 iura permanent, a litis contestationis autem tem-  
 pore omnes etiam omnino fructus, perinde ut  
 alius malae fidei possessor restituere tenetur,  
 cum sola litis contestatione possessor in hoc in-  
 dicio in mala fide constituitur, nec tum illa in-  
 ter malae & bona fidei possessorem differentia  
 admittitur, l. 45. derei vindic. l. 22. C. eod. Quid  
 in indicio vniuersali iuris sit, habet l. 25. §. 7. de-  
 bered. petit. conf. HARTM. PISTOR. p. 4. qu. 27. n.  
 1. seqq. CARPZ. p. 3. const. 32. def. 39. Sed quo-  
 modo nostro bona fidei possessor usque ad li-  
 tis contestationem iura omnia iniolata permane-  
 nt? Respondemus, ut percipiendo omnes  
 fructus adquirat. Ergo sua sponte sequitur,  
 fructus pendentes una cum fundo domino re-  
 stituendos esse, ut supra iam late demonstratum  
 est

est in Tb. 13. Imo ut mentem nostram clarius explicemus, quod ad ipsos fructus perceptos attinet, distinctione aliqua opus erit, vt ne bona fidei possessori ob quasi dominium plus iusto largiamur, vero autem domino plus iusto praeiudicemus. Sunt equidem, qui vno iustum confidere volunt, adserentes, bona fidei possessorum de fructibus perceptis domino vindicanti nullo modo teneri, siue consumti sint, siue adhuc extent, inter quos prius tenet DÖNELLVS in comment. iur. civil. L. 4. c. 26. & ne sine lege loqui videatur, prouocat ad l. 27. de usufr. vbi pro stantibus legere vult extantes, sed contra omnium probatae auctoritatis exemplarium fidem. Imo si etiam concederetur talis lectio, tamen nihil per eam singulari Dönellianae opinioni accedere, cuilibet ipsum texatum probioribus oculis insipienti patebit, HARPRECHT ad §.35. I. de rer. diu. n.52. seqq. & qua iniuria extantes fructus in l. 22. C. per pendentes explicit, facile constare poterit ex eo, quod nusquam fructus pendentes opponantur consumptis, bene vero extantes, prout egregie probat FRANZKIVS Exercit. 4. qu. 8. n. 7. seqq. Missa igitur

igitur haec facimus , & potius ita statuimus :  
bonae fidei possessor fructus extantes domino  
superuenienti debet restituere : idque probamus  
per claros textus . Nam disertis verbis PAVL-  
LVS , bonae fidei possessorem fructus perceptos  
lucrari , ait , si eos consumfit , in l . 4 . § . 2 . fin . re-  
gund . ergo illos fructus perceptos , qui adhuc  
extant , non lucratur . Accedit eiusdem PAVL-  
LI responsum in l . 48 . pr . de adquir . rer . dom .  
vbi bonae fidei possessor saltem interim fructus  
suis facere & pene loco domini esse dicitur . Imo  
quid liquidius esse potest l . 22 . C . de rei . vindic .  
vbi Imp . DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS ex-  
pressissime rescripsierunt hunc in modum : Cer-  
tum est , malae fidei possessorem omnes fructus  
solere cum ipsa re praestare : bonae fidei vero ,  
EXTANTES : Sane tuto ita colligere possumus :  
Si bonae fidei possessor de fructibus consumitis  
non tenetur , sequitur , eum teneri de extantibus ,  
vid . § . 35 . I . de rer . diu . & § . 2 . I . de offic . iud . Et  
rectissime iura tantummodo dominium reuo-  
cabile in fructibus extantibus bonae fidei pos-  
sessori indulserunt . Nam licet is bonae fidei  
priuilegia pro se allegare queat , l . 136 . de reg .

inr. fortius tamen debet esse ipsius domini praedominium, & fictio debet cedere veritati. Nam cum verus dominus iam fructuum dominus esset, dum pendebant, etiam eorum dominus post separationem, quamdiu extant, manere debet, cum ei nil possit imputari, quo priuari debeat suo dominio. Hinc ob fructus extantes domino superuenienti vtique dari debuit rei vindicatio, cum meum sit, quod ex re mea supereft, cuius vindicandi ius habeo, CELSVS in l. 49. §. 1. de rei vindic. Sed hisce obstare, & DONELLI sententiam antea adductam adiuuare videtur l. 28. pr. de usur. vbi CAIVS : itaque agni, ait, & boedi & vituli statim PLENO IVRE sunt bonae fidei possessoris & fructuarii. Nam si pleno iure bona fidei possessori, perinde ut fructuario, eiusmodi fructus percepti cedunt, eorum actionem, licet adhuc extent, superueniens dominus habere non poterit. Verum respondemus ita : bona fidei possessor fit perceptorum fructuum dominus pleno iure, id est, in solidum perinde ut fructuarius, sed exinde nondum sequitur, bona fidei possessoris dominium etiam irreuocabile statim esse. Nec obicem ponit bonae

nae fidei possessoris conjunctio cum fructuario,  
qui fructuum perceptorum dominium irreuo-  
cabile consequitur. Nam quotiens in iure bo-  
nae fidei possessor cum fructuario copulatur,  
toties haec comparatio in tantum admittenda,  
in quantum aliae leges expresse nullam dispa-  
ritatem indicant: *Similes sunt possessores & fru-*  
*ctuarii quoad fructus, sed non aequales*, inquit  
GALVANVS de usuf. c. 25. n. 15. deprehendimus  
enim in quibusdam fructuariorum, in aliis au-  
tem bonae fidei possessorum meliora esse iura,  
quae tamen plenius excutere, nostrum institu-  
tum non patitur. Sed instas: si bona fidei  
possessor fructus extantes debet restituere, pa-  
rum utilitatis reportat ex dominio, quod in o-  
mnibus fructibus perceptis ei supra tributum est.  
Verum quidni? Nam licet extantes debeat re-  
stituere, non tamen tenetur de consumptis; ut  
plenius in *Thef. sequente* dicitur. Imo quod  
ad ipsos fructus extantes pertinet, quorum *in-*  
*terim dominium* habet, non omni utilitate ex-  
cidit bona fidei possessor. Nam, quamdiu  
verus dominus non adparet, eos, amissa pos-  
sessione, a quolibet alio possessore repetere pot-

est. Deinde pro lubitu iis vti, atque eos consumendo & vsucapiendo irreuocabiliter suos facere potest, quae omnia non procederent, si nec eorum *interim dominium* haberet, FRANZIVS *Exercit.* 4. *qu.* 7. *n.* 7. Quid autem ratione impensarum & meliorationum tam in fructus, quam in ipsam rem hactenus a bonae fidei possessore factarum, iuris sit, si dominus superuenit, & rem vindicat, breuitatis studio praeterire cogor. Interim consuli possunt *l.* 46. de *vsur.* *l.* 5. *C. de rei vind.* *l.* 27. *§. 5.* *l.* 38. & 48. *de rei vindic.* *§. 30.* *I. de rer. diuis.* & ex professo IOANNES GARSIAS *de impensis* & *meliorationibus.* add. LYNCKER *vol. 1.* *resp.* 148. & *vol. 2.* *resp.* 154. & 173. & *illustris Dn. PRAESES resp.* 73. & *resp.* 224.

## Thes. XVII.

Quod tandem ad fructus consumtos attinet, statuimus, hos bonae fidei possessorem suos fecisse irreuocabiliter, ita, ut domino rem suam vindicanti de his plane non teneatur, licet ex iis etiam locupletior factus sit, supra Thes. XI. Supponendum autem est, nos potius agere de bonae fidei possessore rei singularis, quam

quam vniuersalis, seu hereditatis, in quo vltimo leges aliter disponunt, tam ob hereditatis naturam, quam actionum inde fluentium indolem, l. 25. §. 11. & 18. l. 40. §. 1. de hered. petit. l. 1. & 7. C. eod. tit. STRAVCHIVS *Dissert.* 18. Th. 10. Noster igitur bona fidei possessor fructus consumptos suos facit irreuocabiliter. §. 35. l. de rer. diu. ibi: & ideo si postea dominus superuenerit, & fundum vindicet, de fructibus ab eo consumptis agere non potest, quibus respondet, §. 2. l. de offic. iud. & l. 4. §. 2. fin. regund. Optima autem ratione hoc statutum est. Nam primum hi fructus, bona fide cum iusto titulo coniuncta, percepti, dein etiam bona fide consumpti sunt, ita ut nec dolus, nec culpa bona fidei possessor obici queat, quod eos desierit poscidere, cum haec tenus in re tanquam sua versatus est. Et debet sibi imputare dominus, quod non citius in rem suam inquisierit, eamque vindicauerit. Sane vigilantibus, non dormientibus iura prospicere, cautum est in l. 24. in fin. quae in fraud. credit. Denique si per usucaptionem, seu consumptionem ciuilem, quae cum naturali, vt

fructus pro non amplius extanibus habeantur,  
 pari passu ambulat, verus dominus omne suum ius omnemque actionem amittit, sequitur fructus consumtos irreuocabiliter suos fecisse bonae fidei possessorem, l. 4. §. 19. de usurp.  
**E**t usucap. Nihil autem interest, quomodo consumtio fructuum contigerit, modo fructus apud bonae fidei possessorem non amplius, nec naturaliter nec ciuiliter, extent. Hinc pro consumtis fructibus etiam haberi debent, quos bonae fidei possessor aliehauit, licet hi fructus forsitan apud tertium hunc possessorem adhuc inueniantur, vel pretium ex fructibus redactum apud ipsum nostrum bonae fidei possessorem extet, cum contra illum tertium nulla prodita sit actio, nec pretium in iudiciis singulibus in locum rei succedat, l. 7. in fin. qui posterior. in pign. VINNIUS ad §. 35. I. de rer. diu. n. 10. late THOMASIVS in disp. de iur. circa frument. c. 1. n. 22 - - 35. BEYER in delineat. Instit. tit. de rer. diuis. n. 180. Ut vero per usucaptionem fructus pro consumtis habeantur, ad excludendum dominum, iure ciuili requiritur triennium, iure Saxonico vero sufficit anni & diei spatium,

CARP.

CARPZOVIVS p. 3. const. 32. def. 29. vbi etiam quid in iudicio vniuersali iuris sit, indicat. Quod si itaque dominus superueniens de fructibus consumtis agere non potest, necessario sequitur, nec bonae fidei possessorem teneri, licet ex fructibus consumtis locupletior factus sit. Nam primo textus omnes, qui de consumtis fructibus loquuntur, generaliter disponunt, consumtorum fructuum nomine bonae fidei possessorem haud teneri, absque vlla distinctione, utrum exinde locupletior factus sit nec ne; atqui lege non distingue, nec nostrum est distinguere. Deinde fortissimum argumentum praebet l. 4. §. 2. fin. regund. vbi PAVLLVS clare dicit, *bonae fidei possessorem LVC-  
CRARI fructus*, si eos consumit. Nam per haec verba absolutur bonae fidei possessor ab omni actione intuitu fructuum consumtorum, licet iis locupletior factus sit, cum is vere lucrari videatur, qui locupletior redditur, & nemo sine lucro locupletari dici potest, VENN. c. l. HARPRECHT. ad §. 35. I. de rer. dia. n. 67. seqq. vbi adhuc alia argumenta inueniuntur, quae transcribere haud necesse arbitror, cum sen-

ten-

tentiam meam iam adducta satis saluent roborentque. Adde tandem, si placet, utilitatis publicae lauorem, qui vult litium ambages atque circuitus praecidi, quod sane fieri haud potest, si multum disputatur, an & in quantum ex fructibus consumptis bonae fidei possessor locupletatus sit, & qui modus computandi ineundus sit, quo liquida & euidens locupletatio redatur, *vid. omnino WERNHER. p. 1. Select. obseru. 318. n. 13. p. 601.* Quae in contrarium moueri solent, aut continent confusionem actionum realium, personalium & mixtarum, aut redolent principii petitionem. Sane BARTOLI argumentum ex aequitate naturali petitum: *neminem cum alterius damno fieri debere locupletiorem:* obtorto collo huc trahitur. Nam considera bonam fidem & in adquisitione & in consumptione hoc loco necessariam, considera tituli iustitiam, considera culturam & curam, considera domini negligientiam, considera abbreviandarum controveneriarum forensium necessitatem, & facile videbis, naturalem istam regulam in nostro bonae fidei possessore limitandam esse. Sed restat quae-

quaestionum hucusque propositarum omnium  
difficillima, ex qua sola luce meridiana clarius  
constare potest, quam ambigua, incerta, atque  
vacillans hodierna iuriuti praxis sit. Illa au-  
tem haec est: An etiam hodie haec iuris roma-  
ni dispositio obtineat, quod de fructibus con-  
sumis bona fidei possessor, licet exinde locu-  
pletior factus sit, non teneatur? in fructibus v-  
sucaptis practici Doctores adfirmatiuam sine  
haesitatione sequuntur, CARPZOV. p. 3. c. 32.  
def. 29. & qui ab eo allegantur. Ast in fru-  
ctibus alias consumtis, in duas partes abeunt.  
Alii statunt, moribus bona fidei possessorem  
de consumtis vtique teneri, in quantum locu-  
pletior factus, praecipue ob rationem antea, de  
non locupletando aliquo cum alterius damno,  
adductam & confusatam, vid. quos nominat  
WERNHER. supra c. l. n. 10. seq. nam quod ad  
rationem attinet, quam CARPZOV. c. l. def. 28.  
n. 22. profert, magni ponderis haud est, ni-  
mirum dicit: *Quoniam consumtum non sit,*  
*quod in corpore patrimonii retinetur, & de quo*  
*quis factus est locupletior.* Sed quis vñquam  
dixerit, illud demum consumtum esse, quod

G

ita

ita interit, ut plane non, ne quidem per aequi-  
pollens, amplius extet. Sane nummi consum-  
ti dicuntur, qui apud te accipientem non am-  
plius extant, licet ex iis praedium bono mer-  
catu comparaueris, & ex hoc contractu locu-  
pletior factus sis, l. 19. §. 1. de reb. cred. §. 2.  
l. quib. alien. lic. consumtum in nostra Thesi  
accipi debet non intuitu patrimonii diminutio-  
nis, sed intuitu abusus, interitus, & alienatio-  
nis. Imo, si CARPOVII ratio concluderet,  
sequeretur, etiam usucaptos fructus restituendos  
esse, quod tamen ipse negauit in *praeced.*  
*def. 29.* Qui autem in horum ICtorum  
mero ad constantem fori usum vel consuetudi-  
nem receptam prouocant, audiri deberent,  
modo constantem fori usum vel consuetudi-  
nem probare possent. Alii igitur, & quidem,  
meo iudicio, rectius, certius & firmius adse-  
runt, hoc in casu a iuris romani dispositione  
recedendum haud esse; nam quod non abro-  
gatum est, cur stare prohibetur, arg. l. 27. C.  
de testament. & lex promulgata vel semel re-  
cepta semper loqui censetur, nisi aliud introdu-  
ctum aut per consuetudinem, aut rerum per-  
petuo

petuo similiter iudicatarum auctoritatem, l. 38.  
 de legib. atqui in nostro casu habemus certam  
 legem, nimirum ius romanum in subsidium  
 receptum, nec adeat in contrarium lex germanica  
 aut vniuersalis consuetudo, vel rerum per-  
 petuo similiter iudicatarum auctoritas. Imo  
 adsunt potius quamplurima praeiudicia usum  
 iuris romani hoc in passu indicantia, IOANNES  
 a SANDE decif. aur. L. 3. tit. 15. defin. 1. ARIVS  
 PINELLVS ad l. 2. C. de rescind. vendit. part. 2.  
 c. 4. n. 47. & 60. HARPRECHT ad §. 35. I. de  
 rer. diu. n. 20. seq. ibique excitati quampluri-  
 mi. Quin & STRYCKINS in Uſu mod. Pand. ad  
 tit. de R. V. th. 12. DD. refert, qui dicunt, sene-  
 quam vidisse practicari, b.f. possessore in conde-  
 mnatum fuisse, in quantum locupletior fa-  
 elis. Hinc etiam WERNHER. c. l. quid quaeso,  
 inquit, in hac tanta incertitudine, ubi docto-  
 rum de contraria praxi testimonium tam va-  
 rium ac multiplex est, consultius fuerit, quam  
 iuri romano intrepide insisteret, cuius non alia  
 abrogatio est, quam per legem, aut consuetudi-  
 nem contrarium, quae liquido daceri posse.  
 Quibus momentis etiam impulsus Ordo ICto-

G 2 .2 rum

rum Vitemberg. saepius secundum iuris romani sententiam apud eundem legitur respondisse, & quidem exempli gratia mens. Nou. 1698. hanc in modum: Ob gleich einiger Rechts-Gelehrten Meinung nach/ auch die bona fidei possessores dasienige/ in quantum ex fructibus perceptis & consumtis locupletiores sati sunt, zu ersättigen gehalten; dieweil aber dennoch die angezogene Doctrin in denen Rechten nicht gegründet/ immassen die de iudicio uniuersali handelnde Textus iuris auf die iudicia singularia nicht füglich zu ziehen/ und die Praxis contraria a iure communi, auf welche sich einige beruffen/ keines weges/ wie recht/ dargethan und bewiesen/ sc.

## Thes. XVIII.

Haec sunt, B. L. quae de iure fructuum a bonae fidei possessore perceptorum, & iudicij imbecillitas & temporis breuitas commentari permiserunt. Enixe igitur te rogatum volo, si quid vel a mente tua alienum, aut minus apte dictum, vel aliquid omissum deprehendas, quae tua est humanitas & benevolentia, aequi bonique consulas.

S. D. G.



V I R O  
ERVDITIONE ET VIRTVTIBVS CLA-  
RISSIMO, IVRIVM CANDIDATO  
DIGNISSIMO,  
CHRISTIANO FRIEDRICO  
WINTERO,  
S. P. D.

P R A E S E S.

**S**i nomen, quod geris gentiliti-  
um, cum themate dissertatio-  
nis tuae comparare liceat, non  
sine omniere hoc Tibi succur-  
riffe, illudque contigisse, au-  
tumo. Nomen habes ab hyeme, anni tem-  
pore

pore, non tam colligendis, quam percipiendis  
fruendisque fructibus apro. Etidem est, quod  
prae se fert demonstratque disputatio tua,  
thema, *de iure fructuum a bonae fidei possessore*  
*re perceptorum* ICtorum Doctorumque  
sententias sub examen reuocans, limatumque iudicium  
ferens. Ita Thema, quod pertractandum  
eligiſtī, cum nomine tuo optime congruit.  
Sed conuenit quoque vtrumque statui  
tuo quam pulcherrime. Id ipsum, quod in  
charta ac disputatione tua doces, exemplo  
tuo viuo probas confirmasque. Sicut nullum  
alium, quam bonae fidei possessorem iudicas dignum,  
qui fructus ex aliqua re percipiat; Ita & honoris, quo nunc ceu praemio  
singularis industriae eruditionisque tuae ma-  
ctaris, non alius quam bonae fidei, hoc est di-  
gnus possessor existere voluisti. Illorum enim  
minime consortio atque exemplo Te adiunxi-  
sti, qui neglecto turpiterque perduto tempore,  
colligendis doctrinarum scientiarumque fructibus  
consecrato, de hyeme aetatis suae viri-  
lis ac senilis salutariter tranquilleque transigen-  
da vix cogitant, turpisimis cupiditatibus con-  
tentī,

tenti, & aliquando triste illud ingemiscere  
coacti:

O mihi praeteritos referat si iupiter annos!  
Sed potius sapientissimi Regum effatum Proli  
X, 5. secutus, nomineque tuo, excitatus in  
ipso vernali aestiuoque tempore iuuentutis  
tuae de hyeme aetatis securitiae prudenter lau-  
dabiliterque cogitasti. Non enim solum per  
illud tempus, quo in hac ornatissimorum in-  
geniorum sede commoratus fuisti, sed & post  
illud, in eo fuisti totus, ut industria tua inde-  
fessa eiusmodi colligeres doctrinarum scien-  
tiarumque fructus, quos aliquando cum tuo  
patriaeque salute percipere iisque ex animo per-  
frui posse. Testatur de hoc praesens tua dis-  
sertatio; testatur Facultas nostra, in conspectu  
totius orbis litterati Licentiam Tibi conferens  
summos in utroque iure absque ulteriori spe-  
cimine capessendi honores. Testatur patria  
tua ingensque clientum numerus, tibi gratu-  
labunda applaudens; Testor & ego, de eru-  
ditione tua solidissima p[re]ceteris fatis edo-  
ctus. Nihil igitur amplius addo, quam quod

Tibi

Tibi ceu honoris dignitatisque optimo iure  
a nostro ordine collatae digno bonaetque  
fidei possessori ex animo gratuler, diuinam-  
que gratiam apprecer, vt industriae conditio-  
nisque tuae imposterum percipias fructus v-  
berrimos, exoptatissimos, hyememque to-  
tius vitae tuae experiare omnis benedictionis  
spiritualis & corporalis fertilissimam! Dab.  
d. XIX. Sept. M DCC XXIV.

---

V I R O  
*NOBILISSIMO ET CONSULTISSIMO*  
CHRISTIANO FRIDERICO VVINTERO,  
CANDIDATO DOCTVRAE DIGNISSIMO, AMICO  
SVO CARISSIMO, GRATVLABVND  
CALAMO  
S. P. D.  
NIC. GVILIELM. DRESSELIVS, D.

**N**il non acerbum est prius, quam ma-  
turum fiat, & tertandus est ager, a  
quo multum frumenti speras. Ita er-  
iam cum studiis nostris, mi caris-  
sime VVintere, comparatum est. Et peracerba  
enim

enim eorum initia nobis videntur, & magno,  
eoque improbo labore opus est ad colendum  
animi agrum, eumque ad disciplinas praepa-  
randum, cantatisima quippe bonorum omni-  
um admonitio est: VIRTUTIS MERCES SVDORE  
PARATVR: qua docetur, omnibus neruis con-  
tendendum, atque sedulo mentis, corporisue  
viribus adlaborandum esse, quo virtutis fructus  
ad maturitatem prouecti cum voluptate decerpi  
& colligi queant. Sane virtutis praemia ad  
industrialium fructuum classem pertinent: nec  
eum ego hoc loco bona fidei possessorem  
existimo, qui absque omni studiorum cura &  
animi cultura huiusmodi honores consecutus  
est. Quae cum omnia veritati consentanea,  
Tibique, Amice aestumatisime, longe notis-  
sima sunt, etiam in exercendo legitimae scien-  
tiae agro prudentem, & solerter agricolam  
imitatus es, haud deterritus innumeris, nec ra-  
ro acerbis incommodis, quae literarum secta-  
tores subire coguntur. Nonne Tu apud pa-  
rentem plurimum reverendum huncce agrum  
ceu noualem proscidisti, Altenburgi iterasti,  
Ienae autem tertiasi, & optimo semine con-

H

ser-

seruisti, haecque omnia ea assiduitate peregisti,  
vt in arando hand saepius strigaueris? Itaque  
naturum non est, quod iam vberrimam studiorum  
tuorum messem facis, &, cum iucunda  
praeteritorum laborum recordatione, maturos & dulces eorum fructus quotidie percipis,  
quas inter in primis nominari meretur dignitas, quam Tibi hodierna die conferri video,  
cuius genuina indoles est, vt non alium sapiente & docto ornare debeat. De hac igitur gratulator Tibi vehementer, Tuque ea vtere ac fruire ex animi sententia. Vale, etiam atque etiam vale, & mihi fauere perge. Dabam Ienae e museo d. XXIII. Sept. M DCC XXIV.

---

**S**ie in der Themis Bau bewährten Grund gesetze gelegt,  
Durch wohlgeübten Fleiß, denselben auch vollführt,  
Nach klugen Uberschlag vollkommen ausgezihret,  
Und von der Weisheit Schmuck erhabne Schäze  
trägt;  
Kan mit vergnügtem Geist die Zimmer denn bewohnen,  
Worinn die Musen selbst mit Ehrenkränzen lohnen.  
Nistræ

Astra theilt den Preis vergnügter Vorbern aus,  
Und steckt auf solches Dach selbst die erfreuten Dreyer;

Die Ewigend preist den Schmuck der so vollkommenen

Häuser

Und schenkt, zu dessen Zier, noch einen Blumens-

Strauß;

Darinnen sonderlich Viol und Nelken siehen,  
Als die den Doctor-Huth ganz ungemein erhöhen.

Ich sche Sie, mein Freund, als ein Exempel an,

Da Dero Ewigend-Bau Viol und Purpur ziehet,

Apollo steckt den Reiß, der Ihrem Ruhm geführet

Auf das gedeckte Dach, durch die gewohnte Bahn.

Es will Geschäftsamkeit und Ruhm bey Ihnen bleiben,

Und durch geschickten Fleiß das Glücke höher treiben,

Ich bin vergnügt und froh, bey diesem Ruhm-Ges-

bau

Und wünsche, daß der Tag ein Anfang vieler Wonne,

Ein Muster vieler Lust, ein Glanz der neuen Sonne,

Ein Vorbild anderer Ehr, Ruhm und Ergöhnens sey,

So viel sich Striche hier in meinen Zeilen finden,

So oftte müsse Sie ein neues Glücke binden.

Hiermit empfiehlet sich dem Herrn Lic. zu  
hochgeachteten Andenken

Johann Ernest Creuznacher/  
Pastor zu Rohrbach.

H 2

Ein

**G**in ausgeräumter Kopf, ein fleißiges Bemühen,  
Ein Schatz voll Wissenschaft, und seltne Höf-  
lichkeit,  
Sind Sachen, welche stets was grosses nach sich zie-  
hen,

Und dem Besitzer ist ein Ehren-Kranz bereit.  
Man siehet es an Sie, Geehrter Freund / mit Wun-  
der

Astraea, der Sie sich von Jugend auf geweyht,  
Legt iest zu Dero Fleiß den allerbesten Zunder,  
Durch Ehr und hohen Ruhm nach ausgestandnem  
Streit.

Das Glücke nun, so Sie an diesem Tag erblicken,  
Müß ein gewünschtes Licht, und guter Anfang seyn,  
Darauf die Chemis noch viel Preis und Ruhm wird  
schicken,  
Und Sie mit Fürsten-Gunst, und anderm Wohl er-  
freuen.

Solches wünschet von Herzen, und em-  
pfiehlet sich Ihnen zugleich bester  
massen

Dero gehors. Diener

J. A. M.

Vt

**V**I sol perpetuo radios emittit amoenos,  
Vmbraque consequitur Corpus opaca  
suum;

Sic quoque virtutem sacri comitantur honores,  
Gloria doctrinam non peritura manet.

Nulla dies, si fecta cadit virtute decenti,  
Quae non ad laudes tenderet, esse potest.

Quos igitur doctrina viros, studiumque probatos  
Declarat, digni, qui celebrentur, erunt.

Cernis ut in sacris, quos ornat cura fidesque  
Extollat felix palma, perennis honor.

Adde quod & reges, si quos doctrina probauit,  
Iustitiaeque fides, condecorare solent.

Quidni sacra THEMIS genuinos legis aman-  
tes

Tolleret egregio nomine, laude pia?

Ornaret fertu, violis & germine pictu,  
Immo & amicitiae symbola certa daret?

Prodis in exemplum WINTERE perennis  
AMICE,

Quum tibi promeritum dat THEMIS ipsa decus.

Iustitiae studium, sollers, prudentia, virtus,  
Doctrinæ candor hoc peperere decus.

Qui

Qui ceu tu studiis, virtutis tramite laetus,  
Iuris doctrinae qui penetrare tenet;

Non poterat tristis, quum praemia magnus  
APOLLO  
Soluere, excludi, quin pretium capiat.

Gratulor ergo tibi nomen, quod suscipis ingens,  
Gratulor & specimen quod dedit apta manus,

Det DEVS aeternum, veneror quod pectore, numen,  
Vt tua, quae peragis, facta secunda fluant.

Perge modo strenue, felix iam porta reclusa est,  
Intra! porta patet; forsque parata tibi.

Patria, quae gaudet tanti se posse vocari  
Digna VIRI mater; necdere ferta cupit,

Forsan & excenso tua fors florebit in agro,  
Quum sua se magnis ars bene culta prober.

Ito bonis auibus, votorum quidquid habebis,  
Vt sis damnatus NVMINA sancta precor.

Ita dignissimo Domino Licentiato honore  
vtriusque Iurisque specimen, eruditioris  
singularis editum gratulari, simulque o-  
mnigenam felicitatem apprecari voluit  
debut amicus

M. C. H. L. I. S.


**ULB Halle**


3

003 920 380



56:





10042158  
1024,22a

DISSE<sup>T</sup>ATI<sup>O</sup> IN AVG<sup>R</sup>ALIS IVRIDICA<sup>26</sup>  
*DE*

**IVRE FRVCTVM A BONÆ  
FIDEI POSSESSORE PER-  
CEPTORVM**

*QVAM*  
ADSPIRANTE DIVINA GRATIA  
RECTORE ACADEM<sup>E</sup> IENENSIS MAGNIFICISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO

**VVILHELMO HENRICO**  
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM AN-  
GARIAE WESTPHALIAE ET RELIQUA  
EX DECRETO  
INCLVTAE FACVLTATIS IVRIDICAE  
SVB PRAESIDIO  
VIRI ILLVSTRIS ET EXCELLENTISSIMI  
DOMINI

**CHRISTIANI WILDVOGELII**  
ICTI CELEBERRIMI SERENISSIMI DVCS SAXO-ISENACENSIS CONSI<sup>I</sup> IARII  
INTIMI CVRIA PROVINCIALIS ADSESSORIS FACVLTATIS IVRIDICAE ET  
SCABINATVS SENIORIS ITEMQUE IVRIS PVBLICI ET FEVDALIS NEC  
NON CODICIS ET NOVELLARVM PROFESSORIS PVBLICI  
ORDINARII

PATRONI AC PROMOTORIS SVI PIE COLENDI  
PRO LICENTIA IN VTROQUE IVRE OBTINENDA  
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI  
IN AUDITORIO ICTORVM HORIS CONSVENTIS ANTE ET POMER.  
SVBIICIT

**CHRISTIANVS FRIDERICVS Winter/**  
ADVOC. RONNEB.  
AD D. XVI. SEPT. MDCC XXIV.

---

**IENAE, LITTERIS MULLERIANIS.**